



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Dilectis Filiis Abbati sanctae Columbae Senonensis & Magistro Scholarum
Aurelianensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

cedens ut jam contra te verbum Domini assumere compellamur: *Pœnitent me fecisse hominem.* Quod à sanctis patribus sic exponitur: *Faciám quod solent facere pœnitentes, destruendo quod feci.* Et nos forsitan quod construximus destruere compellemur. Meminimus quidem, & tu debueras meminisse qualiter in recessu tuo coram fratribus nostris districtè tibi duximus injungendum ut Cisterciensis ordinis observantias custodires, cum pontificalis susceptio dignitatis non absolveret te à voto; ex qua, licet cum honore sit, sic onus sibi magis auxerit ut religioni nihil penitus deperiret, per quod ejus habenas taliter relaxares. Ideoque fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus usque ad quindecim dies post susceptionem præsentium cum conscientia dilectorum filiorum Archidiaconi & capituli Pennensis tam formam juramenti quod prædicto Comiti præstitisti quàm litteras quas super hoc nos asseris direxisse per nuntios tuos ad præsentiam nostram omni excusatione cessante transmittas, ut super hoc prout expedire videbitur procedamus. In ceteris autem ita corrigas vitam tuam & te sic observantia regulari conformes ut non rediisse ad seculum sed in seculo potiùs ipsum & pompas ejus contemnere videaris. Alioquin, cum admonitio præcesserit, de cetero vindicta sequetur. Datum Laterani 1 v. Kalend. Novembris.

*DILECTIS FILIIS ABBATI
sanctæ Columbe Senonensis & Magistro
Scholarum Aurelianensis.*

Cum inter venerabilem fratrem nostrum Parisiensem Episcopum & dilectos filios Abbatem sanctæ Genovefæ ac eorum Capitula & Ecclesias super jure parochiali in parochia de Monte super capella sanctæ Genovefæ sita in civitate Parisiensi & super procurationibus quas dictus Episcopus in parochialibus Ecclesiis Parisiensi diocesis ad prædictam Ecclesiam sanctæ Genovefæ de Monte pertinentibus requirebat, dudum fuisset controversia ventilata, tandem post labores varios & fatigationes multimodas quas propter hoc sustinuerunt utrinque, de utriusque partis assensu, mediantibus bonis viris, salva sedis apostolicæ reverentia, eo fuit inter eos tenore compositum quem suis nobis litteris plenius expresserunt, pari desiderio & voluntate unanimi supplicantes ut eidem compositioni ipsi & eorum Ecclesiis ne-

Tom. I.

cessariæ manum confirmationis apponere dignaremur. Nos ergo ipsorum precibus inclinati compositionem ipsam, sicut sine pravitate providè facta est & ab utraque parte sponte recepta & in scriptis authenticis continetur, dummodo non vergat in præjudicium apostolicæ sedis, ad quam Ecclesia sanctæ Genovefæ nullo mediante dinoscitur pertinere, mandavimus atque præcepimus inviolabiliter observari. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus cognita plenè veritate, si compositionem ipsam secundum præscriptum modum factam inveneritis & receptam, eam auctoritate nostra confirmare curetis, id nobis postmodum per vestras litteras intimantes, ut & nos ipsam, per vestram relationem instructi, auctoritate apostolica confirmemus. Datum Laterani V. Idus Novembris, pontificatus nostri anno quinto.

*VENERABILI FRATRI
Archiepiscopo Bisuntinensi & dilectis filiis
Archidiacono Salinensi & aliis Ecclesiarum
rectoribus per Bisuntinensem diocesem con-
stitutis.*

Non sine grandi cogimur admiratione referre quæ nuper dilectis filiis fratribus de Roseriis Cisterciensis ordinis in vestra diocesi accepimus contigisse. Sunt enim nonnulli de parochianis vestris, quemadmodum nostris est auribus intantum, qui ad ea quæ Dei sunt respectum debitum non habentes, eos ad secularia pertrahere judicia non formidant, & examen aquæ frigidæ ignisque candentis ventumque duellum subire compellunt, nullatenus attendentes sacros canones non censere confessionem à quolibet per hujusmodi extorquendam, & quod sanctorum patrum non est documento sancitum non esse superstitiosus adventionibus præsumendum. Nos ergo quæ præmissa sunt circa prædictos viros religiosos attentari de cetero districtius inhibentes, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus & districtè præcipimus quatenus parochianos vestros monere studiosius & inducere procuretis ut ab hujusmodi conatibus illicitis penitus abstinentes similia de cetero non præsumant, quæ in contemptum Dei & ecclesiasticæ libertatis dispendium attentari noscuntur; alioquin eos ad id per excommunicationis sententiam appellatione remota cogatis, quam usque ad satisfactionem condignam præcipimus inviolabiliter observari. Datum Laterani.

P P p p ij

*Vide cap. Olim
inter. De vesti-
tut. spoliat. &
appendicem totius
libri.*

*Epist. 107.
Ne monachi
Cisterc. ad se-
cularia judicia
pertrahantur.*

*Epist. 100.
Confirmatur
concordia ini-
ta inter Epif-
copum Paris.
& Abbatem S.
Genovefæ.*